



LECTORI BENEVOLO.



QUIMVR *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram:* quibus enim aliis verbis tractationem ordiar de Christo, quam iis quæ attulit è cælo Magnus Apostolus legatione fungens pro Christo, vt reconciliemur Deo. Consideravit nimirum priori tomò Theologia nostra Dei magnitudinem effusam in Angelos & homines, quorum causa est efficiens & finalis; nunc spectabit illum posterior iste To-

mus vt exinanitum in forma serui, vt fiat homini lapsò Iustitia & Sapientia, & Sanctificatio, & Redemptio, *Habemus omnia in Christo* (inquit Ambrosius) *& omnia Christus est nobis;* fons enim ascendit de terra & irrigat vniuersam superficiem terræ, effundens vndique gratiam, & abluens peccatores ac menstruas, dum bibimus omnes in gaudio aquas de fontibus Saluatoris, vt simus sancti & immaculati in conspectu eius.

Deriuat autem in nos aquas illas salientes in vitam æternam per canales aureos primum Deiparæ sanctissimæ Matris suæ, deinde per aquæductus Sacramentorum, ex quibus fluunt vbertim dona omnia pretiosissima vberum diuinorum. *Ego quasi trames aqua immensa,* (inquit Virgo beatissima) *ego quasi flumini Diorix, & quasi aqueductus exiit de paradiso,* quia hæc est voluntas eius, qui totum habere nos voluit per Mariam; neque vero aliunde fluunt copiosius aquæ gratiarum, quam per meatus Sacramentorum, in quibus inclusæ sunt diuitiæ salutis, & thesauri meritorum Christi.

Vnde mihi sex tractatibus totam video concludi commodè posse tractationem de Christo, Primus erit de mysterio eius Incarnationis, Secundus de Sanctissima eius matre, Tertius de Sacramentis eius generatim, Quartus de Sacramento Venerabili Eucharistiæ, Quintus de Sacramento Pœnitentiæ, Sextus breuiculus solum erit de aliis quinque Sacramentis.